

5820.  
B. N. # 166.  
A. 46, 3.

X 1880634



QVOD BENE VORTAT!  
DISPUTATIO INAUGURALIS

DE  
JUSTITIA

CONFRATERNI-  
TATIS PVBLICAE

Cujus Usus in Germ. celebratur;

vulgò

LEX, DE X B A Ü D E X B N G.

Quam

GUBERNANTE DEO

Ex Decreto

AMPLISSIMI FACTORUM ORDINIS

IN ALMA TRIBOCORVM ACADEMIA

Pro

Summis in Utroq; Jure Honoribus

ac Privilegiis rite capessendis

Solenni Eruditorum Examine

D. Mens. Mart. A. O. R. 1678.

scribet

HENRIC-ANTHONIUS, HENR. FIL.

SPERMANN.

ΑΓΙΩΝ ΠΡΟΤΙΜΑΝ ΤΗΝ ΑΛΗΘΕΙΑΝ,



ARGENTORATI,

LITERIS JOH. FRIDERICI SPOOR.

VI 6







mi  
con  
ti  
di  
dis  
ad  
de  
ter  
fia  
Co  
ess  
luc  
ess  
m  
pe  
ti  
ab  
g







## ΣΥΝ ΘΕΟΥ ΤΥΧΑ!

**S**I quod aliud, certè Jus Confraternitatis, quam Germani dicunt Erbs-Verbrüderung | accuratiorem paulò discussionem dudum anhelavit. Hujus enim genium, vim ac naturam paucissimi dextrè explicaverunt, implicaverunt pluri-  
mi: plures tarditate, nescio quâ, præpediti nucleo neglecto corticem rei lambere maluerunt. Loquor de iis, qui nativam pacti nostri, quod vocant, successorij justitiam tantis difficultatum obstructionibus obduxerunt, ut hisce recidentis, ad instar Gordij nodi dissecandi, Alexandrum nonnemo advocare vix erubuerit. Utut sese res habeat, placet deligere Confraternitatem, in quâ præ reliquis Juris materiis virium, quas sentio quàm sint exigua, periculum fiat. Nec me difficultas absterret, haut ignarum, jura Confraternitatis ita in profundo Democriti puteo demersa esse, ut improbus hæc ipsa inde revocandi, & è tenebris in lucem protrahendi labor optandus magis, quàm sperandus esse videatur. Accendit potius ardor discendi, inflammat abstrusa inquirendi calor. De rebus enim planis & perspicuis, id est, quæ sua lucent luce, ulteriorem disputationem instituere velle, hominis esse reor otio & literis abutentis. Ne nostræ tamen supellectilis immemores arguamur, oneris subeundi gravitatem ingenij nostri parvi-



tate metiemur; dabimusq; non quæ debemus, sed quæ possumus: confisi Benevoli Lectoris, quam naturalis & civilis ratio despondet, æquitate. Neutiquam enim ista (nisi vehementer spes fallit) committet, ut noster qualis qualis in arduis conatus tristem experiatur fortunam, quæ eum post denegatum humanitatis officium expectat. Suffecerit autem, quoad instituti presentis rationem ad solidos nervos, quibus Confraternitas (cujus usus in nostra Germania sub nomine Erb-Verbrüderung viget) firmissimum robur debet, velut indicem intendisse: uberiore ac diffusiore tractatione, quum sit altioris indaginis, iis relictâ, quibus hoc argumentum ad exemplum perfecti commentarij excolere visum erit.

THES. I.



**I**n omnibus disputationibus nihil prius, nihil antiquius esse debet, quam ut quid sit illud, de quo quæritur, explanetur: uti probè Julianus *lib. sing. d. ambiguit.* observavit. Rationem M. Tullius hanc reddit, ne vagari & errare cogatur oratio, si ii qui inter dissenserint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligent. Quod quum ita sit, in nostra quoque disceptatione utraque & Nominis & Rei definitio haut immerito familiam ducet, imò tantum non utramque paginam conficiet.

II. Quia autem nomina significandarum rerum gratia sunt inventa, neque rem exprimere quidem sine nomine licet, utique rationis est prius, quam ipsius negotii naturam viresque exponamus, *Όνοματολογία* ipsarum  
rum



rum vocum Confraternitatis & Erb=Verbrüderung paucis referre ; quæ in tribus hisce, Etymologia, Homonymia, & Synonymia spectatur.

III. Etymologiam quod attinet, nomen equidem vernaculum Erb=Verbrüderung nativitatem suam quin vetustissimæ Majorum nostrorum, puta Teutonum Linguæ accepto ferat, nemo nisi Suffenus in dubium vocabit. Estque veluti è conjugio binorum radicalium terminorum, videlicet Erbe / quod communiter heredem, interdum hereditatem; & Bruder / quod fratrem notat, procreatum. Causam appellationi dedit primaria paciscentium intentio, ut sc. quoad ἀλλήλοκληρονομία pleno fratrum jure censeantur; De qua infra θ. 50. uberius.

IV. Vox autem Confraternitatis Latinis veteribus, quod sciam, ignota prima, ut ita dixerim, cunabula barbaro, sive Gallico, sive Italico idiomati debet. Cujus condendæ autores reciproca juris fraternitatis, quod quælibet societas quodammodo in se habere dicitur *in l. 63. pr. ff. pro soc.* ratione persuasos fuisse sentimus. Plane usum particularum σὺν à Græcis, & con s. cum à Latinis scriptoribus non nisi in iis rebus servari novimus, quæ λόγον τινὰ ἐναλλάξ i. ultrò citroque habitudinem, sive mutuum ac reciprocum quendam respectum vi sua introducunt.

V. Proximum, nisi fallor, ab Etymologia locum occupat Homonymia, i. plurium rerum eâdem voce nuncupatio. Sanè si ex aptitudine naturali, quam Etymologia ostendit, de virtute vocis nostræ vernaculæ statuendum foret, minimè obscurum esse potest, actum quemlibet, modo jus hereditatis & fraternitatis contineat, denotari. Verùm quandoquidem usus, quem penes



*arbitrium est & jus & norma loquendi*, fines tam dicendi, quàm intelligendi regit ; ideo ne positos egressi limites infeliciter errare teneamur, illud potius quod ex usu, quàm quod extra usum est, attendendum venit. Hoc eò pertinet, ut fidem assertioni nostræ faciat, qua nomen vernaculum *Erb-Verbrüderung* ab omni Homonymia liberamus ac defendimus: Etenim nisi vim feceris, virtute sua intrinseca perpetuo unum eundemque actum, quem definitio realis (θ. 16.) aperiet, ex instituto significat.

VI. Consequens eorum, quæ diximus est, quod vocabulum *der Erb-Verbrüderung*/ne quidem ὁμωνυμικῶς malis utrum κατὰ χρῆσιν ὡς pacto, quod vocant *Erb-Vereinigung*/ applicari possit. Frustra igitur eos esse, qui inepta sollicitudine vocabulorum istorum Homonymiam determinant ; insulsos, qui distincta illa negotia confundunt, penitus censemus.

VII. Sed è diverticulo in viam ! Videamus nomen Confraternitatis : De cujus nativa indole ac speciebus, quas generali suo ambitu amplectitur, nihil attinget dicere. Satis sit, quoad propositum non ignorare, quod vocabulum Confraternitatis κατὰ χρῆσιν ὡς, adeoque per Homonymiam, negotio nostro nomen suum in vernacula lingua habenti, (v. θ. 5.) accommodetur quidem, sed virtutem ejus, i. vim ac potestatem nondum consequatur: id quod exactiorem paulò utriusque vocis collationem instituenti occultum esse nescit.

VIII. Istius verò abusiois origo, utrum eruditius, quos antiqua Germania eduxit, Majoribus, an Italis de jure Germanorum proprio (v. θ. 21.) consultis debeat ? forsan quæstionis erit. Equidem quum impeditæ



peditæ non minus decisionis , quàm exigui ac nullius fere emolumenti esse videatur , eam veluti otiosam otiosis per otium , si quod perdere satagunt , expediendum remitto ; ratus & mihi scriptum esse , ( quod Venerandus Dn. Parens dissertationis suæ Inauguralis *de Jur. Emphyt. Anno labentis seculi XXX. heic ejusdem loci habitæ primordium esse voluit , )* scitum illud Catulli :

*Turpe est difficiles habere nugas,  
Et stultus labor est ineptiarum.*

IX. Ex iis quæ insinuavimus , clarum & apertum esse putamus , quòd qui vernaculum Latine exprimere voluerunt , ob efficacioris inopiam in istam Confraternitatis appellationem confugere necesse habuerunt ; moti velea , quam Germanum idioma præ se fert , fraterni juris analogia. Quod quum nemini novum & insolens videri debeat ; quippe naturâ rerum conditum est , ut plura sint negotia quàm vocabula ; non est quòd delicata superstitione nomen Confraternitatis barbariem quodammodo sapiens fastidiat ; quin nihil abusivi , quod necessitate exigente popularis usus approbavit , à se alienum putet.

X. Sed & Synonyma , quibus vulgò Doctores sive pactum sive jus confraternitatis adumbrare amant , valere & rem suam sibi habere jubemus. Ad unum enim omnia latiùs patere , neque vim vocis vernaculæ accuratè satis exprimere videntur ; adeò ut ne Græcum quidem ἀλληλοκληρονομίας nomen relatu dignum arbitremur.

XI. Cæterùm de annosa vernaculi nominis ætate , qua cuilibet appellationi facile præstat , nihil addimus :



mus: Vide sic eam apud Magnif. Dn. Conringium, *Præceptorem meum, quum in Alma Julia studiis vacarem, fidelissimum, tr. d. Or. Jur. Germ. c. 9. p. m. 79.* Nobis ad *πραγματολογίαν* festinandum.

XII. Quum autem primò levi ac simplici via, post deinde diligentissima atque exactissima interpretatione singula ex Sacratissimi Imperatoris monito tradenda sint; hinc nec à nostris partibus alienum erit, accuratæ Confraternitatis Definitioni vulgarem, quam vocant, Descriptionem præmittere, quatenus possit & auribus & oculorum inspectioni perfectissima negotii, de quo agitur, doctrina exhiberi.

XIII. Sit itaque Confraternitas, Germ. *Erbs-Verbrüderung* / contractus inter duas pluresvé jure Superioritatis Territorialis gaudentes familias constitutus, ob hoc, ut ratione successionis in substantiam extinctæ quoad masculos familia, pleno invicem fratrum jure censeantur; Jure Germanorum Civili, publico, militari, confirmatus ac permissus.

XIV. Singulos datæ descriptionis terminos, quorum sine exacta notitia periculosè erratur, explicatione singulari subsequi, haut equidem abs re foret: sed ne instituti immemores verbosos meditari commentarios videamur, quò longior de nostra disceptatione detrahatur oratio, eorum expositioni eò faciliùs supersedemus, quo certiores sumus, à perfectò principiorum Juris communis incomplexorum systemate, quale Codex Justinianus esse vulgò perhibetur, eam potius petendam, quàm à lubrica Disputationis fide expectandam esse.

XV. Unicum illud iis, qui de proximo actus nostro genere Logico disquirunt, dixisse juvat: Esse verum & pro-



& proprium contractum, i. conventionem ultrò citro-  
que expressam; *arg. l. 19. ff. d. V. S.* Quam conventio-  
nem si duce quæstione triviali, quæ? qualis? quanta?  
ad vivum veluti refecare per occupatam, qua distine-  
mur, operam licentia foret, analogica Juris Quiritum  
Civilis ad jus Germanorum Civile applicatione subni-  
xi, haut obscure demonstratum daremus, esse pactum  
publicum, non-nudum, legitimum, bonæ fidei, cer-  
tum, consensuale, in rem conceptum.

XVI. Sed animus aliis rebus illigatus istis anti-  
quæ subtilitatis rudibus, queis ejusmodi pacti nostri  
interpretatio carere nequit, eruendis ac consideran-  
dis nec vacat, nec immerito Principum Virorum gra-  
vitatem tortuosis verborum ambagibus offendere sub-  
veretur. Recta proinde via ad veram & genuinam rei  
definitionem properamus, quam pro more Veterum,  
id est, *παχυμερέςρον* concinnatam ita producimus, ut  
Confraternitas, Germ. *Erb-Verbrüderung* sit publica &  
perpetua ob successionem ultrò citroque constituta  
fraternitas.

XVII. Verùm enim verò, quòd si in foro causas  
orantibus nefas videtur esse, coram judice, cujus impe-  
rio impune non paretur, litem contestari; quantò ma-  
gis disceptationem de justitia Confraternitatis promit-  
tentibus inconveniens erit, nulla competentis arbitri  
solicitudine curavé tactos illotis, quod ajunt, mani-  
bus protinus materiam disputationis tractare? Necess-  
arium itaque nobis videtur ipsius Juris quasi fontem,  
unde vera negotii nostri justitia hauriri debet, adire; ma-  
ximè quum ad effectum citra quodlibet Legis auxili-  
um perducere vix ac ne vix quidem possit.



XIIX. Quò celerius autem in unam sententiam de competente iudice eligendo decurratur, illud quasi lapidis angularis loco ponendum est, ab innumeris retrò seculis Germanicas gentes propriis suis Legibus semper usas fuisse; id quod disertis verbis Limn. J. P. 1. 3. 4. asserit, latiusq; Dn. Conring. in *laud. tr. Or. d. Jur. Germ.* demonstrat. Tantum verò abest, ut jus illud *νομοθεσίας* Majores nostri ullo tempore commisisse dicantur, ut hoc potius nomine, quòd potestatem illam Legislatoriã incolumem, nulloque servitutis iugo excussam ad nostram ætatem transmiserint, iure meritoque sint exosculandi. Conf. *Tr. d. necess. J. Cti. §. 57.*

XIX. Quod quum ita revera sese habeat, nequam erraverit, si quis systema Legum Politicarum, ad quarum normam totius Rei nostræ Germanicæ gubernatio regitur, Jus Civile Germanorum appellare velit. Uti enim Jus civile dicitur æquitas constituta iis, qui ejusdem sunt civitatis ad res suas obtinendas, finitore Cic. *Top.* q. d. jus proprium ipsius Civitatis: ita quod Majores nostri ipsi sibi jus constituerunt, id Germanicæ proprium civitatis est, recteque Jus Germanorum civile nominatur.

XX. Præterea memoria recolendum, quòd omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur; uti eleganter ait Imperator in §. 1. *I. d. J. N. G. & C.* Illud Civile, Gr. *πολιτικόν*, hoc J. Cti. Gentium, Philosophis Naturale, Gr. *φυσικόν* vocatur. Jus Civile rursus subdividitur 1.) ratione finis, in publicum & privatum. 2.) ratione personarum, in paganum & militare. 3.) ratione objecti, in allodiale, quod dicunt, & feudale.



le. 4.)ratione formæ, in scriptum & non-scriptum; &c. Singula definire non est instituti.

XXI. Videamus, cuinam potissimum Juris humani positioni vires suas Confraternitas nostra debeat? Et verò paratissimam æque ac simplicissimam hac super re decisionem nobis exhibent verba, quæ in pacto Confraternitatis Saxo-Hassiac. A. C. 1555. renovato deprehenduntur: ibi: *als solches jure publico, militari, und sonst zu Recht geschehen kan und mag.* Quibus verbis probe diuque mecum reputatis tres veluti columnas, quibus omne Confraternitatis ædificium superstruitur, tantum non digito monstrari cognovi, & nisi ludit opinio, perspexi: q. d. Justitia Confraternitatis aut Civili, i. Germanorum proprio, eoque tam publico, quam militari, aut Gentium, i. communi omnium hominum jure, ceu radicibus altissimis innititur.

XXII. Sed parum fortean proderit nosse, quod triplici isto Germanici juris fundamento solida stabilendæ Confraternitatis fulcra subnituntur, si quid publici, quid militaris, quid denique Naturalis sive Gentium juris appellatione hoc loco veniat, ignoretur. Breviter igitur de singulis, quod veri nobis similimum videtur, subnectemus.

XXIII. Jus Publicum est, quod ad statum rei Germanorum publicæ spectat: Privatum, quod ad singulorum utilitatem. Sunt enim quædam publicè utilia, quædam privatim: Ut adèò Jus publicum systematicè consideratum juxta Celsum rectè sit ars æqui & boni publici; quemadmodum Jus privatum ars æqui & boni privati. Porrò sicut omne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad



actiones, ut ait Gajus *lib. 1. Inst.* ita hoc jure Germ. publico non nisi publicas personas, res, & actiones censendas esse existimamus. Dahero die Chur und Fürsten des Reichs als personæ publicæ den privat-Gesetzen keines Weges unterworffen; uti respondit Domus Saxonica in der Apologia und Rettung der zwo Schrifften / so Anno 1609. von des Chur- und Fürstl. Hauses Sachsen an den verledigten Jülischen Herrschafften habenden Rechten außgangen fol. 8. referente Ant. Cöler. in *Discurs. suo d. Jur. Imp. Germ. th. 70.*

XXIV. Cæterum de Jure Germ. publico facile constabit; illud ancipitis consilii est, quale jus per militare, cujus in *Tabb. citt.* fit mentio, intelligatur. Est hæc, fateor, non levis consideratio, quæ me diu satis impeditum tenuit; Nec enim salva conscientia periculosam Vulgarium Autorum ad jura Quiritum militaria revocantium hæresin amplecti, nec bona fides fingere non visa patiebatur. Tandem nescio quibus avibus in Jac. Spigelium, Jctum rerum Germanarum suæ ætatis peritissimum, optatum magis quàm speratum interpretem incidi, cujus verba ex laud. Dn. Conring. *tr. d. Orig. jur. Germ. c. 33.* huc transcribere non pigebit: Ita autem, *Feudorum,* inquit, *consuetudines Veteres appellare solebant jura Militarium, & Imperator nominat sealeias.* Hujus igitur autoritate freti constanter asserimus, secundum subjectam materiam per militare jus nihil aliud, quam Jus Feudale denotari: adducti vel maximè eo, quòd juris expectativæ, simultaneæ investituræ, & cujusdam ex pacto & providentia succes-

succes-



successionis simulacra in Confraternitate deprehenduntur.

XXV. Unicam hoc loco addere cautelam habemus, accuratè, nisi ex Scylla in Charybdin transire velis, tenendam: Summo scil. cavendum esse opere, ne cui juris Feudalis nomen imponat, ut quod diximus jus militare ad Longobardicas, quas habemus, Feudorum consuetudines, veluti amissim exigendum esse opinetur. Enim verò jus illud militare licèt ambigam quo speciali nomine compellari deceat, diversum tamen esse oportere ab illis Longobardorum consuetudinibus, vel hac ratione persuasum mihi omnino habeo, quòd ex positivis unius gentis juribus de positivis alterius, nedum plurium, citra insignem absurditatis notam iudicium ferri nequaquam possit: Taceo quòd Feudales Longobardorum consuetudines privati cujusdam juris species esse videantur.

XXVI. Solenne autem priscis Germaniæ gentibus fuisse, ut singulæ proprio quodam jure regerentur, propriisque consuetudinibus uterentur, adeò ut tantum non maximam antiquæ libertatis gloriam in eo posuerint, apertè restatum reddit egregius ille locus Lehmann. Speier. Chron. l. 2. c. 27. Ein jedes Volk in Deutschland hat damit seine uralte Freiheit an Tag gegeben / und dargethan / daß sie ihre absonderliche unterschiedliche Rechte / Ordnung / und Gewohnheiten gehabt; davon die Allemannische Gesetze berichten: *Unaquæq; gens proprium sibi ex consuetudine elegit legem.* Nam Gothi, Vandali, Allemanni, Franci, Burgundiones, Angli, Saxones,



xones, nationes omnes Germania, suas singuli leges aut mores de Feudis non minus quàm Longobardi habuerunt; uti tradit Hug. Grot. d. J. P. & B. 2. & 2. 7. 21. quod argumentum pluribus prosequutus est Dn. Conring. d. tr. de. Or. jur. Germ.

XXVII. Haftenus de Jure Germanorum proprio. Reliquum est Jus Commune, quod quum æquitate suadente gentium omnium aut multarum voluntate vim obligandi accipiat. v. Grot. d. J. P. & B. 1. 1. 14. Juris authoribus jus Gentium, Celso in l. 1. ff. d. J. & J. æquum, Ciceroni rectum, Græc. ἐπικτὲς vocatur; & Civili, bono, utili, πομπικῶν opponitur. Conf. omnino Act. Marpurg. deduct. caus. princip. §. 204. p. m. 53.

XXIX. His præcognitis, quorsum instituta pergat oratio, in proclivi est animadvertere; studet nimirum oppressos haftenus Pacti nostri, quod Erbs Verbrüderung vocamus, natales pristinae ingenuitati reddere, & sub auspiciis Dn. Conring. in Diss. eruditiss. d. autor. jur. publ. Justin. p. m. 304. vim Reip. facere contendentis eos, qui Leges Justinianicas nonnisi privatis litibus finiendis in foro receptas (v. Lehm. Sp. Chr. l. 4. c. 21. p. 237.) ad publica extendunt; frequentissimum eorum errorem, quotquot Confraternitatis nostræ jura ad examen Juris Quirinalis revocant, ferriò redarguere. Sed ne falsitatis illius indignitate abripiamur, erroribus istis tam enumerandis, quàm convellendis absistimus, eosque tacitè perstrinxisse [ne altum nimis sapere, & modestiæ fines transire videamur] satis habemus: veritatis arbitrio, quibus avita libertas curæ cordique est, cordatioribus relicto.

XXIX.



XXIX. Hunc igitur ad modum Jure Justiniano quoad præsens negotium rejecto ; jure autem Germanorum proprio & communi in competentem judicem veluti postliminio restituto , ad essentiam Confraternitatis in externis internisque causis considerandam progressi , quibus illa tam facti quam juris causis muniatur, pinguiore, quod ajunt, Minerva paucisque, age ! contemplemur. Hac scil. via & pacti nostri justitia constabit , & semel institutum orationis compendium limitibus suis coërcebitur.

XXX. Initium considerationis à Personis faciemus : Esse enim debet, qui paciscatur ; deinde sic quæri, an & qua de causa pactum consistat? ut non ante Juris ratio, quam persona quærenda sit. Quandoquidem autem Personarum in nostro negotio non ut singularium, sed ut familiam quandam præ se ferentium ratio habetur , principio statim quid familiæ nomine veniat, videndum. Nimirum Familiæ appellatio generalis , quæ quando in personas deducitur, significat corpus , quod communi universæ cognationis jure continetur : *v. l. 195. ff. d. V. S.* hoc loco restringitur ad agnatos, i. personas, quæ ab ejusdem ultimi genitoris sanguine per virilis sexûs propaginem proficiscuntur. Germanicè, *die eines Stammes und Namens seyn / einerley Schild und Helm haben.* vid. Knipsch. *d. fideicom. c. 1. n. 22. seqq. usq. ad 47.* Et quidem masculos : per hos enim unice profapia civiliter prodire, & plena tam in allodialibus quam in feudalibus successio continuari intelligitur. Quæ ipsa civilis ratio in causa est, ut pro recepto Germaniæ more, tum familia illa extingui & desinere dicatur , quæ masculum ex se superstitem habet nullum ;  
tum

sin-  
nus  
Hug.  
plu-  
jur.  
pro-  
um  
rum  
P. &  
l. 1.  
vo-  
Conf.  
m. 53.  
ruta  
udet  
Erbz  
itati  
itiff.  
cere  
pri-  
Sp.  
uen-  
tatis  
se-  
itate  
uam  
xisse  
e vi-  
ibus  
to.  
XIX.



tum feminæ ordinariè à successione in Feudis arceantur.

XXXI. Porro quemadmodum in qualibet actione personæ sive separatim sive collectivè (ut hîc) spectatæ, tam morales quàm civiles qualitates attendendæ sunt ; quarum istæ Causæ efficienti remotæ, hæ propinquæ in naturalibus respondent : Ita nec injuria remotam, ex qua Confraternitas initium capit, causam ab ultimis, quæ moraliter in quolibet contrahente exiguntur, agendi principiis, puta proæresi & facultate, deducimus. Cui tamen exponendæ diutius immorari per institutum nec licet, nec aliud fere fuerit, quàm soli lucem foenerari. Conf. Magnif. Dn. Eichel. *Præceptor quondam meus grata memoria celebrandus, ad R. I. p. 247. & 285. Dn. Rachel. elegant. diss. d. princ. act. hum.*

XXXII. Maturamus ad propinquam ; quæ circa civiles paciscentium dignitates occupatur : Planè quò juris confraternitatis capaces dignoscantur familiæ, sequentia simul adesse oportere conjicimus. (I.) ut sint Cives Imperii Romano-Germanici, aliàs enim hoc jure Germ. proprio (v. θ. 21. *supra*) nec regi, nec uti possent. Ergone extranei à nostri Juris Confraternitatis commercio arcentur? Resp. excluduntur à jure proprio ; quòd si tamen vel extrema necessitas, vel urgens æquitas ejusmodi foedus cum extraneis cogendum suadeat, sepositâ Lege Civili jure solo Naturæ, quòd commune (θ. 27.) vocavimus, illud regetur. fac. Grot. d. J. B. & P. 2. 11. 5. 3.

XXXIII. (II.) Ut sint personæ publicæ, i. quæ proprium juris publici subjectum constituent : quales sunt Imperii Ordines, sive Status immediati,  
Unnis



Unmittelbare Freye Reichs-Stände; videlicet Archiduces, Magni Duces, Duces, Comites Palatini, Marchiones seu Marggravi, Landgravi, Principes simpliciter tales, Comites, Barones, Civitates, ac denique Nobiles immediati. *Vid. Knipsch. d. c. 1. à num. 106. usq. ad n. 168. Limn. J. P. 4. 6. 46.* Itaque omnes omnino privatæ personæ, sive nobiles, sive ignobiles abesse jubentur; propterea quod hæ non publico, sed privato jure censentur.

XXXIV. (III.) Ut jure Superioritatis Territorialis gaudeant: Hinc enim vel maximam auctoritatem Jus Confraternitatis nanciscitur, prout ex tabb. Confratern. S. H. colligimus, ibi: Und haben dem zc. was das Fürstenthumb zc. mit seinen Fürstl. Ehren/Rechten und Würden/Gravschafften/Landen/Mannschafften/Lehen/Geistlich und Weltlichen/Städten/Besten/Bürgern/Leuten/Gütern und Zugehörungen/nichts ausgenommen/als Rechten/Ehlichen/und dergleichen Mit-Erben/Gemeinern und Fürsten gnädiglich verliehen. *conf. Besold. Thes. Pract. voc. Erbeinigung. ibi: inter Principes vel alios territoria & jurisdictionem habentes, Myler. d. Princ. & stat. Imp. p. 1. c. 25. §. 23.*

XXXV. (IV.) Ut familiam legitimam, & ut ita dixerim, mortalem alant. Unde quid de personis Ecclesiasticis, naturalibus, adoptivis, feminis, ipsis denique quas vocant Civitatibus Imperialibus sentiendum sit, rectæ rationi invium esse nequit.

XXXVI. Tantum de requisitis Confraternitatum, quæ personas concernunt, necessariis: Ad utilia pertinet; 1.) ut ne facilè cum diversis in religione; 2.) nec cum numero nimis familiis; 3.) ut à Confratribus in persona, ut vulgò loquuntur, præsentibus.

C

contra-



contrahantur : In quibus explicandis quum per consi-  
lii nostri, tritos locos consecrari prohibentis, rationem  
non liceat esse considerationibus, Benevolum Lecto-  
rem *ad elegantem* Dn. Bechm. *Discurs. d. Confrat. Illustr.*  
*fam. c. 3. sect. 2.* remittimus.

XXXVII. Missis Personis ad rei tractationem  
convolamus, quam pro eo, quod in Practicis fieri amat,  
non immerito à Finis speculatione exordimur. Is nam-  
que in executione quidem ultimus, sed in intentione  
primus esse consuevit. Arist. 2. *Phys. c. 7.* Finis autem  
Confraternitati proprius, & per quem à qualibet alia  
confoederatione discernitur, est successio, i. e. in alte-  
rius locum cessio. *v. H. Hermes Fasc. I. P. c. 14. n. 49. pr.*  
In eo namque affectus ex utraque contrahentium parte  
concurrit, ut altera Confratrum familia superstes in al-  
terius, quæ prior esse desinit, ditiones & bona admissa  
juribus pactione constitutis liberè & perpetuo utatur,  
fruat. Non igitur nudum factum in successione ver-  
fari, sed jus contineri clarum & apertum est.

XXXIIX. Lubet in facti jurisque rationes, unde  
successio statum capit, paulisper introspicere. Causæ  
facti, i. ipsius actus succedendi ex principiis actionum  
humanarum (*v. th. 31.*) dependent. Causæ juris, & qui-  
dem communis, h. e. æquitatis rationes, quæ successio-  
nem illam suadent, sunt istæ: ut Divini Numinis glo-  
ria celebretur; ut amicitia & concordia foveatur; ut  
per continuam & perpetuam successionem familia-  
rum senescentium splendori prospiciatur; & quæ his  
sunt similes. Ad jus proprium sive civile pertinent  
sequentes: ut Ordinum dignitas familiarumque ad-  
gnatio salva sit; ut Imperii beatitudo, & sincera inter  
Proceres Imperii concordia servetur & augeatur; ut  
subdi-



subditorum salutem consulatur, ne vel invitis vel ignotis peregrinisve Dominis subiciantur; ut certitudine a regula successione præscriptâ pravæ aliorum spes cohibeantur; ut denique è duobus malis, quod minus est eligatur: Et si quas hujus generis alias Prudentiâ temperatus Usus subministrat. Conf. omnino tabb. Confrat. Sax-Henn. Saxo-Hass. Brand-Pomer. &c. &c. hujusmodi rationibus redundantes.

XXXIX. Modò Objectum, circa quod Confraternitas occupatur, videamus. Illud (0. 13.) appellavimus substantiam, i. e. Bona & facultates; quo sensu JCrís passim audit. Possunt autem objecti vicem sustinere bona quælibet; non tantum Secularia, sed & Ecclesiastica; tam patrimonialia, vulgò allodialia, quàm feudalia; corporalia & incorporalia; mobilia, immobilia; præsentia vel futura; Eaque vel universa, vel ex parte; prout vel Juris autoritati permittere, vel contrahentium voluntati definire visum est. Ne tamen hæc voluntas Confratrum in incerto esse, eaque de causa difficiliorem sortiri exitum cogatur Confraternitas; ideo bonorum determinationem in ipsa conventionis formula, quàm fieri potest, accuratissimè exprimere moris est: uti vel ex verbis Confrat. S. H. (0. 34.) relatis liquet.

XL. De reliquo Materiale objecti in ipsa bonorum substantia; formale in hisce duobus spectari volumus, (1.) ut bona sint publica, i. ab Imperio nostro Germanico immediate pendentia, adeoque eadem, quæ proprium Superioritatis Territorialis objectum constituunt. (2.) ut sint perpetua, i. e. non personæ, sed rei coherentia, quæque ad heredes vel proximos adgnatos per legitimam successionem devolvi possunt. Unde quodam-



modo elucet, quid ad ambiguam quæstionem, num dignitas Imperatoris, Regis Romanorum, Electoris &c. nexu confraternitatis implicari queat? non incautus rerum Germanarum studiosus respondere habeat. *Vide* *ss* Dn. Bechman. *d. disc. c. 1. s. 2. §. 3. n. 14. & 27.*

**XLI.** Restat ut de Actu ipso Confraternitatis dispiciamus; cujus vel ut constituendi, vel ut constituti ratio haberi potest: Priori modo ut contractus incundus; Posteriori ut juris inde quæsi vinculum attenditur. Quod si igitur Confraternitas ceu contractus aliquis celebrandus spectatur, statum viresque ab expresso ultro citroque consensu capiet: In hoc enim forma veri contractus unicè versatur, uti aliàs B. C. D. uberius ostendetur. Sin Confraternitatis ut constitutæ fit tractatio, formalis ejus ratio in obligatione subsistet.

**XLII.** Substantialia Confraternitatis, i. e. quorum detracto uno tota rei substantia ipso jure perimitur, hætenus expeditimus. Pergimus ad Naturalia, i. e. sine quibus res commodè justè fieri nequit, imò nec agi quidem intelligitur. Hæc inter familiam ducit (I.) Imperatoris consensus, in tantum, ut jussus ipsius præcedere debeat; uti patet ex Caroli IV. confirmatione Pacti Sax. Hass. d. A. 1373. ibi: *Mit unserm Willen Vollort und Gunst/ vormalß geschehen wären.* Cujus equidem confirmationis tantã esse auctoritatem, ut quibuscunq; sive scriptis sive non scriptis juribus deroget, ex subsequentiibus *d. confirm.* verbis ipsa luce meridiana clarius constat. *So setzen / erkennen und läutern wir / mit gutem Vorrath / rechten wissen / mit Kayserl. Gesetze / das ewig taugen soll / und auch von Kayserl. Macht Vollkommenheit / daß alle und jegliche unserer Vorfahren an dem Röm. Reich / Kayser und Könige / Kayserliche beschriebene*



schriebene und unbeschriebene Rechte/Gesetze/Behaltung/   
 Übungen und Gewohnheiten der Lande/ &c. alsfern sie sol-   
 che obgeschriebene Sachen und Stücke anrühren mögen/   
 untüchtig / unkräftig und unmächtig seyn und bleiben sol-   
 len. Qua sane clausula, quam vocant, salutari, quid   
 quæso, apertius dici aut fingi potest?

XLIII. Illud quæstionis est ancipitis, num Ele-   
 ctorum quoque consensus hodiè requiratur? Ita qui-   
 dem *Art. 30. noviss. Capit. Leopold.* Feudorum quippe   
 Regalium concessionem absque consensu Electorum   
 fieri vetans, innuere videtur. Postea verò, quàm ex *A.*   
*der Grundf. des H. R. Reichs. P. 3. c. 3. p. m. 258.* didici,   
 dictæ capitulationis auctoritatem in vim Legis publicæ   
 necdum valere, merito subsisto, & veritatem propo-   
 sitæ quæstionis à sublimiori tribunali definiendam   
 suspendo.

XLIV. Hoc certum est, simultaneam requiri   
 investituram, quoties Imperii feuda Confraternitatis   
 nexu obligantur. Sicut enim feuda absque Domini   
 consensu alienari aut transferri nequeunt, ita nisi si-   
 multanea investitura accedat, jus in feudo ultrò citro-   
 que non acquiritur. Subesse verò Confraternitati si-   
 multaneam investituram, ex eo liquet, quod requisita   
 ipsius essentialia à *Dn Struv. S. I. F. c. 9. §. 14.* enumerata   
 in confirmatione Carolina Confr. S. H. tantum non   
 ipsa manu deprehenduntur. Quâ de causa nescio an   
 quæ vulgò confirmatio dicitur, rectius instrumentum   
 simultaneæ investituræ, sive ut cum Feudistis loquar,   
*breve testatum* appellari debeat?

XLV. Cæterùm hanc simultaneam investituram   
 ab Imperatoris arbitrio unicè dependere manifesti juris   
 est: Adeo ut ne Vicariis quidem competat, arg. *A. B.*



art. 5. *ibi: exceptis duntaxat &c.* citat. ab A. der Grundf. des N. R. Reichs P. 1. c. 2. p. m. 17. Ex dictis apparet, livore potius, quàm studio veritatis obstetricante protrusum esse Monzambani *d. stat. Imp. Germ. c. 3. §. 3. inf.* iudicium pronuntiantis, Talibus pactis potestatem Imperatoris, quam in ditiones Principum tanquam Dominus feudi obtinet, penitus eludi.

XLVI. Porro natura Confraternitatis Confratrum, si qui existant, anteriorum consensum explorare jubet: nec illorum jus, quod in certa successionis spe quaesitum habent, iis insciis & invitis intervertatur. uti rectè monet Dn. Bechm. *d. Disc. c. 3. §. 1.*

XLVII. Denique consultum erit, nec subditorum, *der gesampften Landstände* consensum omittere; praesertim si de potenti provincia agitur, cujus incolæ armis correptis adversus ignotum sibi què invitis obtrusum Dominum sese defendere valent. Conf. *Renov. Confr. S. H. d. Anno 1555.* apud Limn. I. P. 4. 8. 162. fol. 206. & Bechm. *d. l.*

XLVIII. De naturalibus pro instituti modo satis: Verbo Confraternitatis Accidentalibus, i. e. quæ salva rei substantia ac natura abesse, nec tamen nisi res subsit, adesse possunt, delibemus. Huc refertur primò solennitas Juramenti, quod vel ab ipsis Confratribus sibi invicem, vel his ab eorum subditis præstatur, & Homagium subjectionis, *Lands-huldigung* oder *Erbpflicht* vocatur: quod de conf. Georg. Ritter. *eleg. tr.* Prius ob negotii præstantiam corporaliter ab ipsis Confratribus præstari tutius esse putat War. ab Ehrenb. *in Meditam. d. Fæderib. l. 2. c. 1. n. 122. seqq.* Merito què illud jusjurandum post confirmationem Domini Feudi plerumque rejicitur, ne juramento frustra concepto divinæ auræ particula laudatur.

XLIX.



**XLIX.** Deinde ad hanc classem spectat Renova-  
tio sive restauratio Confraternitatis: de qua nonnulla  
Carpzov. *ad pact. Confrat. Sax. Hass.* ubi prudenter monet,  
illam rarius institui oportere. Illud tenendum, utramque  
tam juramenti quam renovationis solennitatem non  
ad rei constitutionem, sed jam constitutæ validatem &  
solenniorem illustrationem facere. v. Dn. Hahn. *d. jur.*  
*rer.* θ. 75.

**L.** Coronidis loco potiores Effectus Confrater-  
nitatis extremis saltem labris degustandi erunt. Prima-  
rius isque nobilior est, quod inducat Jus agnationis  
Civilis. Hoc enim ista pactio constituitur, & adeo  
arctum est, ut jus fraternitatis concilietur. Cujus quali-  
tates si scire desideras, sic habeas velim; esse (1.) *ἢ κατὰ*  
*λαμβάνόμενον*, ut Theoph passim loquitur, i. intellectuale.  
(2.) reciprocum, (3.) conditionale *arg. l. 54. d. V. S.* (4.)  
publicum, (v. θ. 40.) (5.) perpetuum, (θ. *ead.*) (6.) so-  
lenne, (v. θ. 48.)

**LI.** Secundarius est, quod tribuat jus in re, idem  
quodammodo ac tale, quale pars altera paciscentium  
ex tempore contractus obtinet: Quod ceu nimis di-  
ctum ne quem ægrius offendat, cum isto salis grano in-  
tellectum volumus, ut ex eo quod jus agnationis con-  
ditionale esse jamjam occupavimus, putet jus illud reale  
non in actu secundo, ut Philosophi loquuntur, sed in  
actu primo illis assignari quatenus spem habent, ut per  
continuationem domini post mortem alterius familiae li-  
beram bonorum administrationem consequantur. Qua  
ratione nihil obest quin etiam superstite adhuc altera fa-  
milia, ex altera parte Confratres quodammodo Domini  
existimentur *arg. eorum, quæ Paulus docet in l. 11. ff. d. lib.*  
*& posth.* Ex hac juris in re continuatione, quæ contra-  
henti-



QVTT 4838

hentibus est proposita. opinor, ut pactum nostrum irrevocabile censeatur.

Plura meditantem calamitatis temporis, qua circumscribimur, angustia sufflaminat; & quae dicenda restant, in commodius, si quod Deus dabit, tempus rejicere hortatur. Filo igitur abrupto, qua in praesentia stylo Academico veritatis eruenda causa consignare licuit publica censurae ea, qua par est, modestia submittimus, & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia parati. Si ubi aberratum, aut quid minus apte recteque dictum, nec perspicue explicatum, nos qui sequimur probabilia, nec ultra id, quod verisimile occurrit, progredi possumus excusabit materiae difficultas. Prorsus ut in ludo pile alterius est commode mittere, alterius etiam si quid erratum est, quam bellissime excipere, & arte corrigere; sic putatur Lectoris aequi, flectere quaedam in benigniorem partem.

# XPICTE ΤΕΛΕΙ



1077

MC







me  
con  
tis  
dij  
du  
ad  
de  
ter  
fia  
Co  
ess  
lu  
ess  
m  
pe  
ti  
ab  
ga



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

